



II. ABTHEILUNG.

Verschiedene Mittheilungen.

Gallia Benedictina hodierna, sive conspectus coenobiorum Ordinis S. Benedicti cum monachorum tum sanctimonialium nigro habitu utentium atque anno D. N. I. C. MDCCCLXXX, S. P. N. B. MCCCC in Gallia existentium, quem iuxta seriem, quantum innotuit, chronologicam singulorum monasteriorum vel congregationum una cum indice bibliographico disposuit R. P. D. Maiolus Lamey O. S. B., Prior S. Iohannis de Grignone ¹⁾.

I. Loca monachorum.

1. Duaci (Douai, in reg. ²⁾ Nord). Prioratus S. Edmundi Regis Duaci in dioecesi Cameracensi a monachis congregationis Anglo-Benedictinae e monasterio S. Edmundi Parisiensi a. 1792 expulsis restitutus est a. 1818 (al. 1823) in collegiatis aedificiis antiqui monasterii S. Gregorii Magni, a. 1605 Duaci erecti et ad eandem congregationem pertinentis, cui primitiva iura, monachis olim a Gallicana subversione erepta, edicto regio reddita sunt. Collegium floren-

¹⁾ Rem hic tractatam lector benevolus diiudicare velit ex eo tempore, quo decreta illa famosa mensis Martii nondum facta et peracta erant. Quem ad finem res statusque Benedictinorum in Gallia deinde pervenerit, constat cum ex actis ephemeridibusque unicuique, ut putamus, notis, tum ex allato p. 195—206 tomi IV. „Studiorum“ anni superioris nuntio de expulsionse Benedictinorum die 6. Nov. 1880 facta.

²⁾ Regio i. q. département.

tissimum nunc adiicitur, in quo plus quam 100 alumni natione Angli diversis disciplinis erudiuntur. Monachi Anglo-Benedictini Apostolico servitio Britannicarum regionum specialiter se devovent¹⁾.

2. **Solesmes** (Sarthe). Abbatia S. Petri de Solesmis, prope oppidum Sablé in dioec. Cenomanensi (Mans) sita, in aedibus prioratus O. S. B., a. 1010 fundati et a. 1792 suppressi, erecta est a. 1837 et auctoritate Gregorii XVI caput novae congregationis Gallicae, Casinensi affiliatae, constituta. D. Prosper Guéranger, abbas revms., ab a. 1833 in his aedibus nonnullos discipulos congregavit, ex quibus quatuor a. 1837 vota emiserunt; hodie numerantur ibidem 52, 88 vero in tota congregatione, qui in studiis cum liturgicis et mysticis tum historicis et theologicis operam consumunt. Usque ad a. 1869 prodierunt circ. 45 opera, a 14 scriptoribus doctissimae huius congregationis concinnata. Illm. fundatori, 30. Ian. 1875 defuncto, Revm. D. Carolus Couturier abbas suffectus est. In bibliotheca ex integro nova 25.000 voll. reperiuntur. Die 6. Nov. 1880 impia cohors a gubernio reipublicae immissa monachos numero c. 75 expulit, strenue licet renitentes.

Duo monasteria subsequencia ad congregationem Gallicam pertinent. (Cfr. Solesmes et Dom Guéranger parle R. P. Dom. Alph. Guépin. Le Mans, 1876. 12^o.)

3. **Ligugé** (Vienne). Abbatia S. Martini de Locogiacco, in dioec. Pictaviensi (Poitiers) sita et duas leucas ab urbe cathedrali distans, S. Martinum, episcopum Turonensem, c. a. 360 habuit fundatorem. Hoc venerabile monasterium, post varias fortunas deiectum, monachi Solesmenses 25. Nov. 1853 sub auspiciis R. I. A. D. Eduardi Pie, episcopi Pictaviensis, restituerunt. Tribus annis post ad gradum abbatialem evectum quidem est; at obstantibus rerum adiunctis prioratus simplex permansit usque ad 25. Nov. 1864, quo die D. Basteide primus abbas institutus est, nominatus a Revm. D. Pro-

¹⁾ Consulendus est D. Gilbertus Dolan O. S. B., qui denuo edidit librum inscriptum: *Chronological notes concerning the English Benedictines* by Brunet Wildon, O. S. B.

spero Guéranger, abbatte Solesmensi. Hodie a Revm. D. Iosepho Bourgigand abbate regitur. Bibliotheca circ. 10.000 voll. continet. Die 5. Nov. 1880 gubernium civile violentam manum in coenobitas immisit et 18 monachos una cum 5 fratribus conversis expulit, duobus tantum sociis relictis. (Cf. Saint Martin et son monastère de Ligugé, par le R. P. Dom. François Chamard. Poitiers, 1873. 12^o.)

4. **Massilia** (Marseille, Bouches-du-Rhône). Monasterium S. Mariae Magdalenae Massiliense, eiusdem dioecesis, revixit a. 1863 sumptibus A. R. D. canonici Coulin, qui monachos Solesmenses illuc advocavit. Die 4. Feb. 1876 Pius IX prioratum S. Mariae Magdalenae in abbatiam evexit; cernitur illa intra muros civitatis in via dicta „rue d'Aubagne“ Nr. 90. In bibliotheca 25.000 voll. servantur. Die 29. Oct. 1880 potestas publica claustra intravit et 13 monachos foras misit. Ecclesia abbatialis (gothicae structurae) a plebe puerisque praesertim ad opus catechisationis frequentabatur.

5. **La Pierre-qui-Vire** (Yonne). Monasterium S. Mariae de Petra-Rotante prope Abellonem (Avallon) erectum est a. 1850 a Ven. Dei servo, D. Ioanne Bapt. Muard, die 19. Iun. 1854 vita functo, in cuius eximias virtutes iam dudum riteque inquisitio eo fine instituta est, ut in Beatorum album referretur. Monasterium congregationi Sublacensi seu Casinensi primaevae observantiae (quae R. P. Petrum Franciscum Casaretto auctorem habet) 14. Ian. 1859 unitum est. Nova illa congregatio regitur ab abbate generali, in proto-coenobio Sublacensi (ad S. Scholasticam) residente, in variasque distribuitur provincias, quarum singulae visitantur ab abbate, qui visitator ideo audit; unde monasterium de Petra-Rotante nec abbatiae nec prioratus titulum prae se fert, caput vero provinciae Gallicae et sedes abbatis visitatoris existit. Schola monastica adiungitur, in qua adolescentes tanquam veri oblatores iuxta regulam erudiuntur. Vitae asceticae exemplo et verbo Dei praedicando monachi animarum salutem secundum principalem fundatoris scopum idque magno cum fructu tum illic tum in quinque prioratibus subsequentibus procurant. Bibliotheca, quantum visu conici

potuit, circ. 10.000 voll. continet. Die 5. Nov. 1880 cohors impia vi decretorum 29. Mart. conditorum placidos huius eremi incolas invasit eosque expulit. (Vid. La vie du R. P. Muard par M. l'abbé Brullée. Sens 1857. 12^o.)

6 a. **Bethisy-Saint-Pierre** (Oise). Prioratus Immaculatae Conceptionis de Bethisy-St.-Pierre a. 1859 in aedibus veteris cuiusdam prioratus dioecesis Bellovacensis a pia quadam matrona dono datis fundatus est; eiusdem monachi verbo Dei praedicando funguntur et scholares provinciae Gallico-Sublacensis theologiam docent. Die 6. Nov. 1880 satellites potestatis civilis incolas cum R. P. Benedicto Préau, priore loci, foras ieicerunt.

7 b. **Saint-Benoît-sur-Loire** (Loiret). Nobile et vetustum Floriacense coenobium (Fleury-sur-Loire), c. a. 650 fundatum, a furiosis Dei et ecclesiae hostibus saeculo XVIII exeunte solo aequatum fuit; superest tamen basilica, structura et amplitudine praestans, in qua fideles ab antiquo venerantur corpus S. P. N. Benedicti, quod e monte Casino, ut pia fert traditio, ad Floriacense coenobium olim translatum est. Hodie praeclarus iste locus in simplicem prioratum redactus a paucis monachis congregationis supra dictae incolitur, qui ab initio Ianuarii a. 1865 curam animarum in paroeciis S. Benoît-sur-Loire et S. Aignan-les-Gués nuncupatis assidue exercent. Die 5. Nov. 1880 decretum de expulsionem religiosorum piis habitatoribus denunciatum est; sed cum constaret, duos tantum ibidem adesse monachos eosdemque ipsos rectores ecclesiarum supra dictarum, nulla insecuta est expulsio. Prioris munus obit R. P. Ignatius Iean. (Vid. Catena aurea de vera existentia corporis S. Benedicti in Galliis connexa a Dre. Brettes et prof. Cuissard. Parisiis, 1880. 8^o. cum tab.)

8 c. **Belloc** (Basses-Pyrénées). Prioratus Immaculati Cordis Mariae de Belloloco, ad vicum Labastide-Clairance in dioec. Baionensi, argumentoso et egregio modo fundatus est. Paucis nempe abhinc annis pii quidam presbyteri saeculares dictae dioecesis, ut fidei ac pietati in patrio solo conservandae atque iuventuti excolendae prospicerent, consilium inierunt S. Benedicti filios illuc arcessendi.

Itaque viri strenui sanctae conversationis habitum in monasterio de Petra-Rotante susceperunt, hac adiecta ab eorum episcopo conditione, ut monachorum colonia inde ad Bellum-Locum deduceretur. Quod et prospere factum est Kal. Sept. 1875, monachis in domus possessionem immissis institutoque in ea puerorum collegio. Prior loci vocatur P. Marianus Bicais. Expulsio Bellocensium die 5. Nov. 1880 perpetrata esse videtur.

9 d. **Saint-Pierre de Canon** (Bouches-du-Rhône). Prioratus S. Petri a Canonicis dioec. Aquensis collatus est monachis S. Mariae de Petra-Rotante a. 1875 a Revmo. praesule Aquensi. Occupant aedes cuiusdam monasterii antiquioris, quae saevam illam coenobiorum eversionem, qua saeculo praeterito Galliae tanta strages illata est, feliciter effugerunt; pia quaedam nobilisque matrona eas antistiti Aquensi donavit, ut religiosa virorum familia illic collocaretur. Anno 1876 advenerunt eodem scholares congregationis, in disciplinis philosophicis erudiendi. Prior est R. P. Romanus Banquet.

10 e. Monasterium nominis incerti in reg. Finistère. Prima fundamenta prioratus cuiusdam, ut videtur, nondum erecti annis nuper elapsis iacta sunt in dioecesi Corisopitensi (Quimper), cuius episcopus est R. I. A. Dom. Anselmus Nouvel, ordinem S. Benedicti in monasterio S. M. de Petra-Rotante professus. Duo vel tres monachi a. 1880, proxime ante impiam religiosorum persecutionem, ad illum destinati sunt locum, qui sexta et postrema fundatio supradictae congregationis in Gallia existet.

11. **Mesnil - Saint - Loup** (Aube). Prioratus B. M. V. Sanctae Spei ad Mesnillum-Sancti-Lupi, in dioecesi Trecensi situs et ab oppidulo cui nomen Estissac non longe distans, studio et labore R. D. Emmanuelis André, ecclesiae loci rectoris, a. 1864 auctoritate R. I. A. Dom. Ravinet, episcopi Trecensis, erectus est. Monachi Mesnilenses proximorum saluti verbi divini praedicatione et sacramentorum administratione haud mediocri cum fructu adlaborant atque studiis theologicis et iuventuti catechizandae operam plurimam navant. Testantur id libri ab eis editi nec non

ephemerides, quibus titulus „Bulletin de N. D. de la Sainte Esperance“. Confraternitas B. M. V. S. Spei, a Pio IX gratiis et privilegiis plurimis ditata, iamiam altas undique radices defixit et nuperrime cum societate S. Anscharii (Suecorum et Danorum apostoli) pro conversione populorum septentrionalium arcte confoederata est. Ecclesia S. Lupi (a monachis exstructa) magno peregrinantium concursu quotannis gaudet. Die 5. Nov. 1880 praefecti Trecensis mandato congregatio peculiaris Benedictinorum B. M. V. Sanctae -Spei dissoluta est. (Cfr. Bulletin de N. D. de la Ste. Espérance, 8^o. — Pie IX et la prière perpétuelle à N. D. de la Ste. Espérance. Troyes 1860. 12^o.)

12. **Delle** (Territoire de Belfort). Coenobium S. Benedicti de Della in confinibus Galliae et Helvetiae atque archidioecesi Bisuntinensi constitutum est a monachis Beinwylensibus ad Petram (dioec. Basileensis), quibus gubernium Solodurense die 17. Mart. 1875 crudelissimam suppressionem et spoliationem bonorum temporalium indixerat. Abbatia de Mariastein insigni sacello seu specu B. Mariae V. dicato decoratur; annis proxime elapsis multitudo hominum ad monasterium Petro - Marianum peregrinantium centum millia superavit. Ante a. 1648 sedes abbatialis fixa erat in loco cui nomen Beinwyl; monasterium, quod ibi exstabat, condiderunt c. a. 1085 monachi a S. Guilielmo Hirsaugiensi missi, B. Essone ad munus abbatis vocato. Nunc pars potior monachorum Beinwylensium in coenobio Dellensi commoratur. Aedificia necessaria nuper exstructa sunt; addita etiam schola, ad numerum 80 circiter discipulorum brevi evecta. In erudienda iuventute, in ministerio animarum variisque studiis literariis monachi egregiam operam collocant. Cum mense Nov. a. 1880 fere omnes Galliae religiosi domo pellerentur, exorta est inter Dellae vicinarumque regionum incolas commotio adeo unanimis, ut ipsum reipublicae gubernium in loci illius monachos manum violentam iniicere haud ausum sit. Itaque in priore suo statu permanserunt. (Cfr. Exil und Asyl der Klöster Mariastein etc. etc. von P. Johann Bapt. Troxler, Benedictiner des Stiftes Engelberg. Solothurn 1879. 8^o. 136 pp. cum figuris.)

13. **Loriol** (Drôme). Coenobium Vallisumbrosanum apud Loriol ad latus collis frugiferi, inter Valentiam et Audomari-montem, in dioecesi Valentiana sistitur. Quidam monachi e monasterio Vallis-Umbrosae eieci circa a. 1876 ex Italia in Galliam venerunt, ut monasterium illic conderent. Olim venerabilis congregatio Vallis-Umbrosae sub auspiciis S. Ludovici regis non pauca in Gallia monasteria erexit, quae saeculo XV labente sub nova congregatione Casalis-Benedicti ordinata sunt. Ad vitam contemplativam et ministerium animarum cum pii huius asceterii coenobitae converterentur, persecutione recentissime exorta ad suos redierunt. (Vid. Une Vallombreuse en France, et esquisse sur S. Iean Gualbert Visdomini, fondateur de l'Ordre de Vallombreuse (985—1073) par M. Ch. de Beaumont. Avignon 1876, 12^o. 48 pp).

14. **Eze** (Alpes-Maritimes). Monasterium Isiense S. Laurentii in dioec. Nicensi, non longe distans a Monaci arce (Monaco), quondam praedium erat ab abbacia Benedictina S. Pontii de Nicensi urbe dependens. Anno tandem 1874 comparatum est a Revmo. abbate Casaretto, congregationis Casinensis strictioris observantiae instauratore et praeside, qui prope exacta aetate ibi non semel diversatus est. Ab anno 1878 prima fundamenta noviciatus provinciae Italicae hic iacta sunt sub regimine R. P. Hildebrandi M. dell' Oro; persecutione vero in Gallia saeviente ad insulam Anglorum Melitensem translatus est. Die 6. Nov. 1880 emissarius praefecti Nicensis sigilla iniquitatis ad postes capellae apposuit quidem, at mox eadem levavit; cum enim ne unus quidem religiosorum in coenobio adesset, nulla quoque aderat expulsionis ratio.

15. **Grignon** (Côte-d'Or). Prioratus S. Ioannis Evangelistae de Grignone, dioec. Divionensis, non longe distans a loco qui dicitur Les Laumes, in aedibus antiqui castris, super praerupta collis Griniacensis saxa eminentis, die 25. Aug. 1880 humile sumpsit exordium. Ad hoc porro peculiariter erectus fuit, ut Dei, Creatoris coeli et terrae, laudes iugiter atque modis omnibus celebrarentur, desumendo scilicet semper nova laudum argumenta tum ex intima rerum visibilium

contemplatione tum ex pluteis scientiarum naturalium, philosophicarum necnon et theologicarum. Speculam astronomicam habet et bibliothecam c. 4000 voll. complectentem. Inter claustra munimenti habentur parietinae carceris S. Reginae Virg. et Mart., quae a piis peregrinantibus quotannis visitantur. Prioratus de Grignone primo fundatus est circa a. 1176, exinctus 1792. (Leibniz et l'étude des sciences dans un monastère, par le R. P. Mayeul Lamey, bénédictin. Dijon, 1878, 8^o).

II. Domus monialium.

1. **Calais** (Pas-de-Calais). Sanctimoniales reformatae Vallis Gratiae, vulgo Dames de S. Benoît nuncupatae, Caleti monasterium B. M. V. de Pace a. 1641 condiderunt. Inde ab anno 1792, quo e monasterio pulsae fuerunt, in duabus domibus separatis clanculum degerunt. Tribus annis post scholam publicam pro externis aperuerunt: anno subsequenti (1796) omnes denuo convenerunt in unum. Die 15. Oct. 1805 tandem restauratum fuit monasterium de Pace atque a gubernio acceptum die 17. Ian. 1827; anno 1859 labente 400 puellae scholam hanc communalem, cui praeerant 7 moniales, frequentabant. Monasterium venerandae antiquitatis situm est in dioecesi Atrebatensi (Arras).

2. **Flavigny-sur-Moselle** (Meurthe). Abbatia Flaviniacensis, ad Mosellam in dioecesi Nanceiensi sita, continuatio est antiquae abbatiae de Verganvilla a. 966 conditae. Tempore magnae revolutionis Gallicae eidem abbatissa Domina de Lamanche praeerat. Conturbatione a. 1802 sedata coadunavit illa dispersas socias in loco cui nomen Luneville ibique convictum puellarum instituit; a. 1810 conventus ad S. Deodatum (St. Dié), anno vero 1824 ad prioratum Flaviniacensem translatus est, qui antea ad monachos Congregationis SS. Vitonis et Hydulphi spectavit et doctissimi Remigii Cellier fuit sedes. Hodie in monasterio illo numerantur 60 sanctimoniales, quibus iuxta mentem regulae S. P. N. Benedicti abbatissa perpetua praeest; adiunguntur convictus puellarum et hospitium piarum Dominarum. Huic coenobio gubernii approbatio 1. Apr. 1827 concessa est.

3. **Verneuil** (Eure). Abbatia S. Nicolai de Vernolio in dioec. Ebroicensi gubernii approbationem obtinuit die 14. Dec. 1810. Conditores habuit a. 1627 viduam Petri de Rouxel de Medavy et Franciscum Pericard, episcopum Ebroicensem. Vi decreti regii a. 1633 ex prioratu ad abbatiae gradum ascendit. Magna erga pauperes caritas semper enituit in hac congregatione. Nunc Moniales numerat 57; curam gerunt 115 puellarum; habent insuper scholam publicam et gratuitam.

4. **Lisieux** (Calvados). Monasterium S. Desiderii de Lexovio, dioec. Baiocensis, saeculo XI institutum est, XIX autem restitutum, gubernio civili illud approbante die 11. Sept. 1816. Moniales numero 41 habent convictum puellarum, in quibus erudiendis praecipuam operam collocant; misericordiam quoque erga pauperes exercent insignem largiendo eleemosynas; nam 30 familias egenas iugiter sustentant et medicamenta quoque indigenti gratis erogant.

5. **Estaires** (Nord). Monasterium monialium apud Estaires in archidioecesi Cameracensi instauratum est a. 1819 et a gubernio approbatum 17. Ian. 1827. Adiicitur convictus puellarum cum schola externa, in qua 165 puellae numerantur. Moniales 18 curam pauperum filiarum agunt, illarum praesertim, quae iuvenibus mixta in fabricis mechanicis tanto cum animae discrimine desudant.

6. **Valognes** (Manche). Conventus sanctimonialium Valoniensium in dioec. Constantiensi ¹⁾ die 17. Ian. 1827 a gubernio recognitus est, instauratus vero iam a. 1623. Moniales cum tempore magnae eversionis sub finem saeculi praeteriti e monasterio expulsae essent, in domum quandam privatam sese contulerunt. Nunc sociae numerantur 49; habent convictum 50 puellarum, quae partim Gallia partim Anglia sunt oriundae. Quotannis 56 familiae pauperes eleemosynis coenobii sustentantur.

7. **Fécamp** (Seine-Inférieure). Moniales coenobii Fiscamniensis in dioec. Rotomagensi hospitii curam habent. Aedes antiquae abbatiae SSS. Trinitatis-Fiscamni, ad litus

¹⁾ Coutances.

maris erectae et a viris laicis possessae, nunc conversae sunt in officinam, in qua liquor quidam, qui „Benedictinus“ vocatur „la Bénédictine“), coquitur. Ab anno 996 usque ad Galliae eversionem inclytum illic exstitit monachorum asyllum, quod proprie in gratiam virginum O. S. B. a S. Vanningo circa a. 658 conditum fuerat. Hildemarcha, Burdegalae oriunda, prima fuit Fiscamniensis abbatissa; ad eam convenerunt 366 virgines summa prudentia rectae, quibuscum adorationem perpetuam instituit. (V. Essai historique et littéraire sur l'abbaye et la ville de Fécamp par M. Leroux de Lincy. Rouen 18.., 8^o.)

8. **Nimes** (Gard). Sanctimoniales 30 numero, Nemausi (in dioecesi eiusdem nominis) existentes, vitam contemplativam cum activa mixtam agunt, orationi scilicet et puellis (8) educandis deditae. A gubernio agnitae non sunt.

9. **Argentan** (Orne). Monasterium S. Iacobi de Argentono in dioec. Sagiensi (Séze) a gubernio approbatum est 17. Iul. 1854. Numerantur 55 moniales, quae docendis puellis operam navant.

10. **Solesmes** (Sarthe). In abbacia S. Caeciliae de Solesmis, dioec. Cenomanensis, 30 numerantur moniales. Anno 1867 prima coenobii fundamenta iecit D. Prosper Guéranger, abbas S. Petri de Solesmis, qui et constitutiones peculiareis eidem dedit, egregie summoque labore concinnatas. Ecclesiae et monasterii aedes inter praestantissima structurae gothicae monumenta merito habentur.

11. **Poitiers** (Vienne). Monasterium de Sancta Cruce in urbe et dioecesi Pictaviensi conditum fuit a. 544 a S. Radegunda regina, quae ibidem a. 587 obiit. Est autem omnium in Galliis antiquissimum Virginum asceterium. Hodiernus conventus, a gubernio 16. Ian. 1837 approbatus, 23 monialibus constat, quae leges et constitutiones abbatiae S. Caeciliae de Solesmis accepisse dicuntur. Puellae nonnullae in hoc monasterio literis imbuuntur.

12. **Igoville** (Eure). Prioratus Igovillensis Immaculatae Conceptionis B. M. V. in dioecesi Ebroicensi hodie a 26 monialibus habitatur, quae convictui 118 puellarum prae-sunt. Peculiareis constitutiones nascentis huius congregatio-

nis ad regulam S. P. N. et in honorem B. M. V. accommodantur. Conventus iam a plurimis annis constitutus est, sed a gubernio minime agnitus. Prioratus formam accepit die 18. Mart. 1879 vi Brevis apostolici, a. 1878 a Leone XIII dati.

13. **Erbalunga** (Corse). In dioecesi Adiacensi (Aiaccio) Corsicae insulae floret virginum Benedictinarum coenobium, 25. Aug. 1862 in loco qui Erbalunga dicitur erectum.

14. **Nice** (Alpes-maritimes). Conventus SS. Sacramenti Niciae (in dioecesi eiusdem nominis) a. 1868 fundatus est, in via Pastorelli nuncupata, a pia quadam Domina Angla. Constat quatuor sanctimonialibus, quae in gratiam puellarum natione Anglarum Niciae degentium scholam externam magno cum fructu habent.

15. **Ardouane** (Hérault). Sanctimoniales quaedam in loco cui nomen Ardouane, prope oppidum Riols in dioecesi Montis-Pessulani (Montpellier), convictum puellarum regunt.

16. **Drouville** (Meurthe-et-Moselle). Monasterium B. M. V. Fuldae in Germania conditum est a. 1626 a quatuor monialibus coenobii Zellensis, Rhabani Mauri nomine quondam nobilitati. Saeviente in Germania persecutione anticatholica et Bismarckiana conventus Fuldensis 20. Sept. 1875 in castellum de Drouville (dioec. Nanceiensis) translatus est. Moniales numerantur 26 (alias 13), conversae vero 8. Utuntur antiquis Kalendariis monachorum S. Bonifacii de Fulda. (Cfr. Exyl und Asyl von I. B. Troxler).

17. **Mesnil-Saint-Loup** (Aube). Anno 1879 R. P. Emmanuel André, Prior Benedictinorum huiusce loci et rector S. Lupi, coenobium virginum B. M. Sanctae-Spei erexit in loco cui nomen Mesnil-Saint-Loup, prope Estissac in dioec. Trencensi. Hodie numerat 7 virgines, quae scholae externae praesunt.

18. **Orléans** (Loiret). Monasterium B. M. V. de Calvario in urbe et dioec. Aurelianensi hodie caput est congregationis eiusdem nominis, vulgo „des Filles de N. D. du Calvaire“ seu „des Calvariennes“ vocatae. Prima illius fundamenta iecit a. 1622 Iosephus Franciscus Leclerc de Tremblay, celeberrimus ille presbyter Capucinus, una cum

R. M. D. Antonia Aurelianensi; scopus vero praecipuus est cultum passionis D. N. Iesu Christi et compassionis B. Mariae V. promovere. Anno 1793 numerabat 20 domus, hodie vero tantum sex habet iam modo recensendas. E 74 virginibus componitur, quae 700 puellas erudiunt.

19 a. **Angers** (Maine-et-Loire). Domus prioralis Andegavensis (eiusdem dioec.) condita est a. 1621. Hodie illic habetur convictus puellarum.

20 b. **Poitiers** (Vienne). Monasterii B. M. V. de Calvario in urbe Pictaviensi prima fundamenta posuit a. 1614 Ven. P. Iosephus, dictae congregationis auctor. Hoc monasterium, a. 1621 constitutum, caput congregationis paulo post evasit. Hodie numerantur moniales 23, quae erudiendis puellis operam navant. Conventus a gubernio acceptus est die 17. Ian. 1837.

21 c. **Landerneau** (Finistère). Domus de Landerneau sita est in dioec. Corisopitensi.

22 d. **Machecoul** (Loire-Inférieure). Domus de Machecoul in dioec. Namnetensi exstat.

23 e. **La Capelle - Marival** (Lot). Domus de Capella Marivalensi in dioec. Cadurcensi a gubernio die 8. Maii 1845 admissa est regitque convictum puellarum.

24 f. **Vendôme** (Loire-et-Cher). Vindocinensis domus in dioecesi Blesensi (Blois), ubi convictus puellarum habetur, a gubernio agnita non est.

25. I. **Nicolas-du-Port** (Meurthe). Monasterium SS. Sacramenti S. Nicolai-de-Portu in dioec. Nanceiensi a. 1806 instauratum est a sanctimonialibus e proprio asceterio Tulli-Leucorum (Toul) paulo ante eiectis. Tullense illud coenobium a. 1664 originem sumpsit a ven. ancilla Dei, Melchildi de SS. Sacramento (Catharina de Bar), institutrice novae familiae benedictinae, cognomento de perpetua adoratione SS. Sacramenti insignitae et a. 1653 canonicè approbatae. Domus universae prioratus sunt; ipsa Virgo Virginum abbatissa singulorum coenobiorum agnoscitur. Quamquam constitutiones a quindecim monasteriis in Gallia erectis observantur, illae tamen vinculo congregationis minime coniunguntur. Prioratus S. Nicolai-de-Portu 17. Ian. 1827 a

gubernio acceptus est. Numerantur ibidem 46 moniales; monasterio adiicitur convictus puellarum nec non piarum matronarum hospitium. Ex eodem conventus de Rosheim in Alsatia prodiit.

26. II. **Rouen** (Seine-Inférieure). Monasterium Rotomagense (dioec. Rotom.) fundatum fuit a. 1677 a ven. Melchtildi modo laudata. Moniales, tempore revolutionis pulsae, a. 1802 denuo congregatae et 22. Apr. 1827 a gubernio acceptae sunt; numerantur 27.

27. III. **Paris** (Seine). Conventus Parisiensis primus situs est in via dicta Tournefort (Nr. 12); originem ducit ab antiquo asceterio S. Ludovici, quod a. 1680 erexerat ven. Melchtildis. Restitutus a. 1802 et a gubernio 7. Ian. 1826 approbatus hodie 30 monialibus constat annexumque habet convictum puellarum.

28. IV. **Caen** (Calvados). Coenobium Cadomense in dioec. Baiocensi (Bayeux), quod olim sui iuris fuerat, cura et studio Ven. Melchtildis ad institutum SS. Sacramenti a. 1685 affiliatum est. Restauratum a. 1804 a gubernio agnitum est 17. Ian. 1827. Numerantur 61 moniales.

29. V. **Bayeux** (Calvados). Monasterium Baiocense in dioec. eiusdem nominis, erectum a. 1701 et post eversionem Galliae restitutum, gubernii accepit approbationem 17. Ian. 1827. Numerantur 62 sodales Deo famulantes et 50 discipulae scholares, quarum quam plurimae Anglae sunt natione. Accedit valetudinarium in commodum matronarum infirmarum.

30. VI. **Paris** (Seine). Alterum Parisiense asceterium perpetuae adorationis, de Templo nuncupatum, in via „Monsieur“ (Nr. 20) cernitur. A Condaea principissa in ipso met Templi loco, ubi Ludovicus XVI incarceratus erat, a. 1814 erectum die 17. Nov. 1841 a gubernio acceptum est. Hic Christo militant 26 virgines, erudiendis puellis operam navantes. (Vid. La vie de la princesse Bourbon - Condé, en religion Soeur Mariae-Ioseph de la Misericorde, écrite par le R. M. S. Gertrude.)

31. VII. **Arras** (Pas-de-Calais). Coenobium Atrebatense (dioec. eiusdem nominis) a monialibus Rotomagensibus constitutum est a. 1815 vel 1802. Gubernii accepit

approbationem 17. Ian. 1827. Numerat 55 sodales religiosas et 130 puellas scholares.

32. VIII. **Craon** (Mayenne). Monasterium perpetuae adorationis de Credonio in dioec. Vallis Guidonis (Laval), coenobii Rotomagensis filia, a civili potestate acceptum est die 5. Aug. 1829; D. Maria de Cossè-Brissac virtutibus eximiis illud nobilitavit. (Vid. Vie de la R. M. Marie de S. Louis de Gonzague (Mme. de Cosse-Brissac) par le R. P. Dom Paquelin, bénédictin de Solesmes. Paris 1876, 2 vols. in 8^o).

33. IX. **Toulouse** (Haute-Garonne). D^om^us T o l o s a n a (dioec. Tosol.) a gubernio die 27. Ian. 1827 approbata, observantias perpetuae adorationis SS. Sacramenti a. 1834 cura et studio asceterii Parisiensis de Templo amplexa est. Virgines numero 35 in docendis puellis occupantur.

34. X. **Bourges** (Cher). Abbatia S. L a u r e n t i i (Bituricensis dioec.), in favorem puellarum in Saxonia natarum et Bituricae erudiendarum a Carolo Magno condita, nostris diebus in prioratum redacta est. Virgines S. Laurentii instituto de SS. Sacramento mediantibus sanctimonialibus de Credonio nomen dederunt. Die 18. Mart. 1827 a gubernio acceptus est conventus, qui hodie 40 sororibus et 80 alumnis componitur.

35. XI. **Longuenesse** (Pas-de-Calais). Anno 1841 sanctimoniales Rotomagenses Audomaropoli (St. Omer) fundaverunt coenobium, quod a. 1855 vel 1856 ad locum in dioec. Atrebatensi qui dicitur Longuenesse translatum est. Huic conventui approbatio gubernii accessit 15. Dec. 1855 et 1. Iul. 1862. Numerantur 35 moniales et in convictu 20 puellae.

36. XII. **Orient** (Aveyron). Monasterium perpetuae adorationis SS. Sacramenti apud oppidum Orient (in dioec. Ruthen.) a monialibus Tolosanis O. S. B. a. 1825 conditum est, anno vero 1860 in societatem de perpetua adoratione beneficio monialium S. Nicolai de Nanceio adoptatum. Diebus 19. Nov. 1826 et 29. Nov. 1865 conventus a gubernio agnitus est. Hodie computantur 15 virgines, quae puellis erudiendis occupantur.

37. XIII. **Lourdes** (Hautes-Pyrénées). Monasterium SS. Sacramenti de Lapurdo (dioec. Tarbensis) circa a. 1870 a virginibus Parisiensibus de Templo erectum est.

38. XIV. **La Salette de Montpeyroux** (Hérault). Conventus monialium de SS. Sacramento, in loco cui nomen La Salette de Montpeyroux non longe ab urbe S. Andreae (dioec. Montis-Pessulani) hodie existens, primum ad Petram-Benedictam (dioec. Lugdun.) a monialibus quibusdam e monasterio S. Nicolai Nanceiensis missis circa a. 1872 conditus est.

39. XV. **Sainte Anne près Neufchateau** (Vosges). Domus S. Annae apud oppidum Neufchateau in dioec. S. Deodati a virginibus coenobii SS. Sacramenti de Rosheim in Alsatia a. 1880 fundata est. Ad S. Annae sacellum concursus peregrinantium iam ab antiquo inolevit; ex hoc loco conspiciuntur incunabula praeclarae virginis Ioannae d'Arc de Domrémy, Galliae saeculo XV. liberatricis. Domus S. Annae est quinta decima et ultima fundatio Benedictina ad institutum SS. Sacramenti pertinens.

40. **Pradines** (Loire). Abbatiae Sacratissimi Cordis de Pradines (in archidioecesi Lugdunensi) prima fundamenta iecit Domina de Bavois, professa abbatiae S. Petri Lugdunensis anno 1787. Saeviente revolutione Gallicana fidem cum vitae discrimine confessa tandem variis impedimentis superatis a. 1804 monasterium quoddam constituit, cui regula S. P. N. Benedicti 21. Oct. 1818 fuit imposita. Pradinensis monasterii sedes vetus quoddam castellum est, duas leucas a Rodumna (Roanne) distans et ad latus saltus praerupti exstructum, ex quo peramoena conspicitur vallis. Exstat hic convictus 80 puellarum. Quotannis 14 familiae egenorum monasterii beneficio aluntur; distribuuntur enim 6250 kilogr. panis, singulis dominicis vestimenta, medicamenta et carnes erogantur. Constitutiones congregationis SS. Cordis Mariae, Romae a. 1830 approbatae, typis a. 1853 prodierunt. Quatuor existunt genera sororum: choro addictae, oblatae, conversae reclusae, conversae externae. Praedictae congregationi adscribuntur quinque subsequencia monasteria.

41 a. **Cuire** (Rhône). Abbatia SS. Cordis Mariae, ad oppidum Cuire in vetere castello cui nomen La Rochette (archidioec. Lugdun.) sita, post magnam Galliae eversionem a septem monialibus Benedictinis Lugdunensibus instaurata et cum abbatia Pradinensi a. 1831 unita est. Hodie moniales choro addictae numerantur 50 et conversae 30, quae convictum 50 puellarum et hospitium orphanorum senumque infirmorum sustentant. Egenis 80 quotannis eleemosynae erogantur.

42 b. **Saint-Jean d'Angely** (Charente-Inférieure). Monasterium SS. Cordis Mariae ad S. Ioannem de Angely in dioec. Rupellensi (La Rochelle) a 6 monialibus choro adstrictis et 2 conversis e Pradinensi cœnobio eductis constitutum est; die 17. Ian. 1827 gubernium illud recognovit. Adest ibi convictus 35 puellarum, quarum plures sumptibus monasterii cum gravamine annuali ca. 5000 francorum aluntur et erudiuntur.

43 c. **Iouarre-sur-la-Ferté** (Seine et Marne). Aedes antiquas abbatiae de Ioto a. 1836 comparavit R. M. Domina Condamine, ordinem S. P. B. ante eversionem Gallicam professa, atque monasterium virginum restituit. Anno 1837 haec abbatia, in dioec. Meldensi sita, leges Pradinenses suscepit; hodie numerat 70 moniales cum 65 puellis in convictu.

44 d. **Chantelle-le-Chateau** (Allier). Monasterium SS. Cordis Mariae de Cantilia, dioec. Molinensis (Moulins), die 11. Oct. 1853 in antiquo prioratu canonicorum Genovefadnorum a 14 monialibus choro addictis et 5 conversis congregationis Pradinensis erectum est.

45 e. **Mantes** (Seine-et-Oise). Prioratum monialium Me duntanensium, dioec. Versaliensis, gubernium 17. Ian. 1827 admisit. Numerus monialium brevi a 23 ad 33 crevit, quibus addendae sunt 12 vel 15 noviciae. Prioratus iste circa a. 1878 accessit ad congregationem Pradinensem de SS. Corde Mariae.

P. S. Cum multa procul dubio in hoc conspectu occurrant minus perfecta, cur illum conscripserim, lectorem paucis monitum volo. Existimabam nempe, spectata rerum hodiernarum conditione turbarum ac calamitatum gravida, haud

inopportunum fore, si quid huiusmodi delineetur, utut angustis finibus comprehensum. Tentamen itaque feci et equidem nonnisi editis iisque pervulgatis documentis usus. Quae cum inter se admodum dissimilia sint, uberrima alia, alia rem vix adumbrantia, hinc factum est, ut me modo abundantia eorum detineret, modo arceret inopia. Propterea domorum praepositos rogo, veniam mihi dare velint, si illas iusto brevius commemoravi, simul et notitias uberiores ac correctiores, sive impressae sint sive manuscriptae, benigne submittere, ut earum ope de monasteriorum originibus et incrementis, de monachorum ac monialium numero et praecipuis operibus uberius edoctus paceque ecclesiae patriae denuo reddita conspectum istum emendatiorem ac auctiorem publici iuris facere possim.

Die Buchdruckerei des Klosters Ottobeuren.

Verzeichnis und Beschreibung der aus derselben hervorgegangenen Werke.

Von P. Magnus Bernhard, O. S. B. aus Ottobeuren.



Im Jahre 1509, also 60 Jahre nach der Erfindung der Buchdruckerkunst, errichtete Abt Leonhard Wiedemann¹⁾ von Ottobeuren eine eigene Druckerei (selbstverständlich mit beweglichen Typen) in seinem Kloster. Die lateinische Stiftungsurkunde in dieser Druckerei bildet die Vorrede des ersten Werkes, das aus der Klosterpresse hervorging. Abt Leonhard sagt in derselben unter Anderm: „Wie gedeihlich den Sterblichen die Arbeit und wie schädlich der Müßiggang sei, hat Plato bezeugt, wenn er sagt: „Was ist des Körpers Gestalt? Wird er nicht durch Müßiggang und Trägheit verwüestet, durch Uebung aber und Bewegung frisch erhalten?“ Auch die Gestalt der Seele wird durch Wissenschaft gebildet, sie wird durch Zucht und Lehre genährt und vervollkommenet. Durch Müßiggang und Trägheit gewinnt sie keine Lehre und vergisst das Erlernte. Gut ist daher die regsame Tüchtigkeit für Seele und Leib, träge Ruhe das Gegenteil. Was die Erheiterungen und das stille Leben betrifft, behaupte ich ebenfalls, dass die Ruhe zur Fäulnis und zum Verderben führt, das Entgegengesetzte die Erhaltung befördert. Darum hat unser hl. Vater Benedict den Müßiggang verwünscht und gesagt: „Der Müßiggang ist der Seele Feind; deshalb sollen die Brüder zur bestimmten Zeit der Handarbeit, zu gewissen Stunden wieder den göttlichen Wissenschaften obliegen.“

Entschlossen demnach, diese tödtliche Pest von meiner Heerde fernzuhalten, habe ich mit grossen Unkosten zusammengekauft, was zum Bücherdrucke

¹⁾ Geboren zu Schretzheim bei Dillingen und 1508 als Abt erwählt. Unter ihm herrschte ein reges wissenschaftliches Streben im Kloster.